

nant, non difficile portum salutis attingent.

VIII. Denique et asinus aderat huic processioni.

Et quid ipse? Portabat Christum, suave onus, utique caute, patienter et cum silentio, creatori suo morem gerens, et quem poterat honorem exhibens. Hoc obsequium est subditorum, ægrorum, affictorum, famulorum et famularum. Portare illi deberent pressuras et miserias, quia premuntur vel a paupertate, vel ab ægritudine, vel a servitute. Quid agent miseri? Taceant, cum asino et patienter onus suum ferant, non recalcitent, nec fugam moliantur, sicut asina Balaam conquesta de suo domino, si una cum Christo ingredi cælum volunt. Ingratus et absurdus valde est cantus seu ruditus asini; ac siquidem asellus Christi in ea processione rudere cœpisset, procul dubio totam musicam pervertisset. Pari modo subditi, servi, ægri, laborantes et onerati, si murmurare, indignari, maledicere, blasphemare, rebelles se ostendere vellent, quid nisi ruditum asinorum ederent, eoque omnem harmoniam corrumpent? His ergo dicendum, quod Isaias, c. XXX. dixit Hebræis, fugam in Ægyptum molientibus: *Si revertamini et quiescatis, salvi eritis, in silentio et spe erit fortitudo vestra.* Quot sub onere suo gemunt impatientes, murmurantes et maledicentes, fugere miserias suas conantur: sed in graviores incidunt, uti contigit Judæis illis qui contra verbum Isaiæ, ut diximus, prophetantis, et Jeremiæ, cap. XLII. eos adhortantis, fugerunt in Ægyptum, ubi a Nabuchodonosore partim occisi, partim abducti sunt in gladium et captivitatem dæmonis; sicque illis contigit, quod fabuloso Æsopi asino, qui de hortulani sævitia querulus Jovi supplicabat alium dari herum. Audiit Jupiter et dedit tegularium. Ubi cum tegulas et graviora pondera vectare cogeretur, rursus orat dari mitiorem herum. Ridens Jupiter dat ei coriarium, qui ipsam etiam pellem asino detraxit. Accidit hoc illis, qui onera sibi imposita excutere laborant, graviora enim incurrunt plerumque, si non semper.

Nos ergo pergamus cum Salvatore nostro, in stio quisque obsequio cum spe et silentio; ibi apparebit fortitudo nostra, et sic itur in Jerusalem. Nemo jam queratur, quod sit ipsi difficile acquirere salutem, videmus enim omnibus facilem patere viam magnatibus, litteratis, divitibus, peccatoribus, prospera fortuna utentibus et adversa. Stemus ergo simul, nemo nostrum subtrahat se hac processione, ne subtrahat se a cœlo.

## CONCIO III.

QUID POTISSIMUM AGENDUM IN SEPTIMANA SANCTA.

I. Corpus edomandum. — II. Peccata deslenda. — III Exemplum frequentandum. — IV. Observandæ sacræ cæremonia horum dierum. — V. Confessio et communio ex obedientia faciendæ. — VI. Peccata, eorumque fibræ tollendæ. — VII. Juvandi pauperes. — VIII. Christo patienti compatiendum. — IX. Peccatis moriendum.

## THEMA.

*Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus venit tibi.*

Matth. XXI.

Rudolphus imperator I. quando pro ducatu Austriæ cum Otocaro Bohemorum rege decertabat, contigit ut ipse cum exercitu suo siti laboraret. Ferunt tunc agros<sup>3</sup> cuidam, qui messoribus potum ferebat, ablatam hydriam sicera plenam atque imperatori oblatam, quam cum ille vidisset: *Reddite, inquit, homini vasculum suum; nam ego exercitui, non mihi sitiabam.* Qua sua abstinentia totum exercitum in sitis tolerantia confortavit et quasi refocillavit, Æn. Syll. III. comment. in Panorm. Summus imperator noster Christus Dominus multa hodierna et sequentibus hujus s. septimanæ diebus egit. Sedit in asino, flevit super Jerusalem, intravit templum, omnia circumspexit, vespere rediit in Bethaniam, sequenti die reversus in templum ejecit inde mercatores, post sanavit cæcos et claudos; denique passus est et mortuus. Hæc omnia cur fecerit, si quereremus, responderet nobis: Non mihi, sed vobis omnia hæc egi. Vobis primo, quia ad salutem vestram; deinde nobis ad exemplum, juxta id: *Exemplum dedi vobis, etc.* Testem advoco S. Petrum, qui ait, I. Pet. II. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Atque hoc indicare voluit Matth. in hodierno evang. cum ait ex Zacharia: *Ecce rex tuus venit tibi.* Quare si ut decet, hanc septimanam pie transigere volumus, non poterimus melius, quam hæc Christi facta imitando. Quomodo id possimus, nunc videndum.

I. Christus Dominus hac hebdomade et quidem hodierna die asinam ascendit, eaque Jerosolymam invectus est, quod nunquam alias fecisse legitur. Qua ratione ipsum in hoc imitabimur? Interrogemus S. Franciscum, et dicet nobis corpus nostrum esse asinum; sic enim corpus suum compellabat. Hunc si unquam certe nunc ascendere et premere, nobisque subicere decet, quomodo et S. Paulus, I. Cor. IX. ait: *Castigo corpus meum, et in servitatem redigo.* Græce, id est, su-

bigio, coerceo, contundo, per jejunia, cilicia, flagella, humiliationes, vigiliis, etc. Equum vero est, ut Christo patienti modo aliquo nos conformemus: *Non enim decet membrum delicatum esse sub spinoso capite,* ut ait S. Bern. ser. super id Ego sum vitis vera. Scimus ex II. Reg. XV. quando David rex fugit Absalonem, lugens operto capite, et pedibus usque nudis egrediens Jerosolyma ascendit montem olivarum, totam ejus aulam simili modo (licet plerique molliter educati, et teneri et delicati essent, uti filii et uxores aliique) ipsum subsecutam. Cumque moneret rex Ethai, exterum ducem, qui nuper ad ejus aulam venerat, ut reverteretur, renuit ille dixitque: *Vivit Dominus meus rex, quoniam in quocumque loco fuerit, Domine mi rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus.* Quid facient ergo Christiani, videntes regem suum egredi Jerosolyma, primo mæstum in montem Oliveti, deinde onustum cruce cum maxima confusione ad montem Calvaria, non et ipsi sequentur regem suum?

II. Flevit ac deflevit peccata Judæorum, qui sua non fleverunt, cum descendens ex Oliveto vidit Jerosolymam. Jam si is aliena peccata flevit, annon magis decet, ut defleamus propria? Id certe in illo ipso fletu dicens: *Quia si cognovisset et tu: q. d. utique feres.* Idemque postea clare edixit ad mulieres plorantes, cum ad mortem educeretur: *Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete et super filios vestros, etc.* h. e. magis quam super me; quia gravius supplicium imminet filiis vestris, quam mihi, quod si vellent lacrymis delere, non difficile possent: obsidionem, inquam, aretissimam Titi, et denique gehennam. Flet Filius, quia audiit a Patre condemnatum servum ad mortem. Vidit servus flentem sui causa Filium, et ipse non flebit?

III. Post ingressum urbis mox intravit in templum, idque repetiit sequentibus diebus hujus hebdomadis, usque ad passionem suam, disserens cum Judæis; et quidem ex Bethania, quæ quindecim stadiis, h. e. 1875 passibus distabat Jerosolymis. Non tam longe absumus nos a templo, quod certe hoc passionis tempore crebrius, et quotidie merito adeundum. Si enim cives Jerosolymitani Christo adventanti extra urbem obviam ierunt cum júbilo et pompa, propterea quod nuperrime in Bethania Lazarum suscitasset, quanto magis decet, ut nos cum omni devotione occurramus ei, qui non unum Lazarum, sed nos omnes et universum mundum his diebus a morte ad vitam revocavit? Ita argumentatur S. Chrys. hom. in hebdom. s. to. IV. græcæ edit. Acriter sensit David rex, quando in fuga sua non secutus est eum Miphiboseth, cui mensam suam re-

giam fecerat communem; unde quasi in magna ingratitude reum animadvertens, ejus bona alteri donavit, eumque postea graviter objurgavit: *Quare non venisti mecum, Miphiboseth?* II. Reg. XIX. q. d. Ad mensam quidem venire sedulo consueveras: me vero in tribulatione constitutum comitari non voluisti, quamquam Miphibosethum sine culpa fuisse postea intellexit. Quid dicturum putamus Christum, si eum per hos dies in passione sua nobis ob oculos positum contueri et comitari renuamus, qui tamen ejus mensa et beneficio fruimur quotidie? Præsertim si die, quo salutem nostram operatus est, a re divina nos absentemus.

IV. Vespere in templo omnia circumspexit, ut habet Marcus, cap. XI. an omnia videlicet essent munda et suo loco, quod indicat textus Græcus h. e. cum omnia circumspexisset: non, utrum quis eum invitatus et hospitio excepturus esset, uti aliqui perperam exponunt. Pari modo decet nunc fideles respicere ad cæremonias, quæ his diebus in templo fiunt, easque intelligere et expendere. In primis hodie crux velatur; et in parasceve iterum revelatur; quia Christi gloria et divinitas in passione obscurata fuit dum latronis instar habitus, nullo miraculo se defendit, ut Deum se ostenderet: in morte demum per prodigia reserata est: *Gloria Patri* eandem ob causam in missa et responsoriis omittitur, quia secunda Persona SS. Trinitatis capta, et per mortem humanæ ejus naturæ, oculis subtracta fuit. Simile est, quod I. Reg. IV. habetur, quando capta a Philisthæis arca, nurus Heli enixa puerum, appellavit eum *Ichabod*, h. e. *ubi gloria!* arca scilicet, gloria Israel. Tria tenebrosa matutina peraguntur, quasi exequiæ Christi ad memoriam tenebrarum, qua tribus horis duraverunt in ejus passione, necnon tridui mortis ejus. In illis candelæ plures, una post aliam per singulos psalmos extinguuntur, ultima retro altare absconditur, et paulo post rursus producitur; tum quia cœli luminaria in passione Christi quasi extincta fuere: tum quia prophetæ successive a Judæis, ubi suum officium impleverunt, occisi: ultimus Christus potius absconditus, quam occisus fuit, quia post triduum resurrexit. Strepitus in eorum fine editur, ut terræ motus moriente Domino factus representetur. Campanæ ad tertium diem, usque dum resuscitati Domini nuntium venit, silent; quia discipuli Christi eo tempore se absconderant et conticuerant, quando eo relicto fugerunt; audita Christi resurrectione rursus prodierunt. Altaria nudantur, quia Christus vestimentis suis, imo gloria et honore suo in passione fuit spoliatus; missa in die Ve-



neris s. non fit, quia eo die summus sacerdos noster summum illud et unicum mortis suae cruentum sacrificium, cui incruenta omnia cedere debent, obtulit. Die Jovis unica tantum celebratur, quia idem eo die solus missam primam celebravit, quando eucharistiam instituit, et apostolos suos in sacerdotes consecravit.

V. Rediit in Bethaniam, id est, domum obedientiae. Sic decet nos hoc in primis paschali tempore singulos ad suam Bethaniam, id est, parochiam conferre, uti ibi peracta confessione suam communionem percipiamus. In Bethania suscitatur Lazarus, et cum Christo discumbit: ut sciamus neque confessionem sacramentalem, qua resurgimus a peccatis, nec sacram communionem, qua cum ipso discumbimus, ipsi gratam esse, nisi fiat in Bethania, in domo nimirum obedientiae, quae est ecclesia.

VI. Mane iterum rediit Jerosolymam in templum, et ejecit inde ementes et vendentes una eum mercibus suis. Ita oportet et nos hoc tempore non modo merces malas, quae sunt peccata, ejicere e corde nostro per confessionem, sed etiam ipsos mercatores, h. e. radices peccatorum, quantum fieri potest, eliminare, ut rei divinae melius operam dare possimus. Expellantur oves et boves, id est, concupiscentiae carnalium voluptatum, uti et sollicitudo comparandi carnes pro paschate, earumque desiderium; ejiciantur columbae, quae sunt superbia in vestitu et ambitu; evertantur mensae nummulariorum, quae sunt avaritia et quaestus: quoniam haec tria potissimum templum Dei violant, concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitae, I. Joan. II.

VII. Sanavit postea claudos et caecos ad se accedentes. Idem decet nunc facere Christianos: sed qua ratione? Sicut fecit Job, cum dixit: *Oculus fui caeco et pes claudus*, c. XXIX. Caeci sunt non solum ignorantes, sed etiam quivis pauperes, qui in domo et mensa sua nihil vident, quia nihil habent. Claudis qui nec parare sibi necessaria possunt, quia vel fracti et laesi, vel infirmi aut senes sunt. Possunt ergo Christiani facere quasi miracula, si miseros istos juvent, si eleemosynam eis ferant, vel in domum mittant, si hospitalia visitent, si familias suas instruant, et ad rem divinam ablegent. Quanta haec illis gloria?

VIII. Christus hac septimana passus est, nos idem compati decet. In festo expiationis, quo summus sacerdos post immolationem vituli intravit in Sancta sanctorum, debebant Hebraei affligere animas suas, Levit. XVI. adeo ut Levit. XXIII. dicatur: *Omnis anima quae afflicta non fuerit*

in die hac, peribit de populis suis. Et quid illud festum, nisi figura dumtaxat fuit diei passionis Christi, qua ipse per immolationem vituli humanitatis suae, adeoque per proprium sanguinem introivit in sancta, et expiavit peccata nostra? Multo igitur aequius est, ut nos Christiani nunc affligamus animas nostras, Christo compatiendo et improprium ejus portando: qui quanta propter nos passus est, longe melius novimus, quam Judaei illi, quibus omnia in figura solum monstrabantur et contingebant. Scribit B. Birgitta omnes homines tempore passionis interno dolore ac pavore tactos fuisse, tametsi causam nescirent. Fit hoc probabile ex eclipsi solis facta super universam terram, quae miraculosa et terribilis fuit: quia in plenilunio, cum luna a sole remotissima est, duravit per tres horas, quod alias nunquam contingere potest: ad haec luna obduxit totum solem; tanta fuit, ut stellae in caelo apparerent, teste Phlegonthe, liberto Hadriani imp. Inde obstupefactus Heliopoli in Aegypto S. Dionysius exclamavit: *Aut Deus naturae auctor patitur, aut mundi machina dissolvitur: non compatiantur homines creaturam creatori suo?*

IX. Christus hac septimana mortuus est: et quidem peccato, ut ait apostolus, Rom. VI. *Peccato mortuus est semel*, intellige effective: quia peccatum occidit sua morte, sicut cadens elephas opprimit draconem. Decet igitur, ut et nos peccato moriamur, non effective, quod Christus tantum potuit, sed subjective ut peccato mortui fiamus: uti argumentatur ibidem apostolus subdens: *Ita et vos existimate vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo*. Quid est mori peccato, ait S. Prosper, l. de vita contempl. cap. XXI. « Nisi damnandis operibus omnino non vivere, nihil concupiscere carnaliter, nihil ambire? Sicut qui mortuus est carne, nulli jam detrahit, nullum aversatur, etc. » Quemadmodum enim religiosi mortui debent esse mundo, ut non delectentur, nec misceant se rebus mundanis, nil possint nec velint habere proprium, non ducere uxorem, non portare gladium, etc. Ita Christiani mortui debent esse peccato. Dicamus ergo deinceps, postquam peccato mortui sumus, id quod ibidem apostolus ait: *Qui mortui fuimus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo?*

Sic vivendum in hac septimana sancta, sancte ad exemplum Christi, qui quae in ea egit, nobis egit, ut sequamur vestigia ejus, ne frustra nobis venerit, tanta propter nos egerit, si tamen etiam sequi ascendentem ad caelum aliquando volumus.

## CONCIO IV.

VARIIS RAMI BENEDICTI VARIIS DISTRIBUUNTUR.

I. Clero ramus persicae. — II. Magnatibus ramus cupressi. — III. Parentibus ramus vitis. — IV. Filiis ramus olivae. — V. Senibus ramus fraxini. — VI. Juvenibus ramus amygdali. — VII. Divitibus ramus sycomori. — VIII. Pauperibus ramus palmarum. — IX. Litteratis ramus arboris musae. — X. Conjugatis ramus castaneae. — XI. Virginibus et viduis ramus arboris agni.

## THEMA.

*Alii autem caedebant ramos de arboribus, et sternerant in via. Matth. XXI.*

Sacra et solenni caeremonia distribuit hodie Romae summus pontifex palmarum ramos prius a se benedictos, primum clero, deinde praesenti populo: id quod etiam agunt in suis ecclesiis praelati alii et presbyteri. Idem nos faciemus in hac concione: ramos inquam dabimus, non in manus quidem, sed in corda vestra. Quales vero ramos? Palmarum ramos asserit Joannes praetulisse turbam Christo; Matthaeus vero caecidisse ramos de arboribus, variis videlicet, palmarum, olearum et aliarum (quarum mons Oliveti plenus erat) ut ait S. Hieronymus. Varios ergo pro statuum et conditionum varietate nunc distribuemus.

I. Clericis praeter aliis solent a pontifice vel presbytero tradi rami benedicti. Et his offero ramum persicae, quae teste Pierio, lib. LIV. hierogl. fructum habet cordis specie, folium vero linguae. Typus est haec arbor hominis Deo dicati, qui pectore et lingua totus in divinas laudes debet effundi, solaque Dei contemplatione quasi pabulo inebriari, eum corde meditari et ore praedicare. Ut huic officio suo solique Deo magis intenti essent, noluit Deus levitis et sacerdotibus dare possessiones in terra, sed voluit ut ipsi ab aliis sustentarentur ex decimis et oblationibus. Numer. trigesimo tertio, et trigesimo quinto. Deuter. decimo tertio, et decimo octavo, et Jos. decimo tertio, ubi causa additur: *Tribui autem Levi non dedit possessionem, quoniam Dominus Deus Israel ipse est possessio ejus*. Sanctus Ambrosius, in exhort. ad virg. ait: *Moyses non divisit Levitis terram, quorum non erat terrenus, sed superior incolatus: sed iis sine labore terreno sacri stipendii ministerii deputavit*. Persica in Perside, patria sua, venenum est: in exteris salubris est; ta communiter verum est in Ecclesiasticis, quod ait Dominus: *Nemo propheta acceptus est in patria sua: extra illam in honore est*.

II. Magnatibus offerimus ramum cupressi.

Olim enim heroum uti simulacra, ita et sarco-phagi ex cupresso fiebant, tum ob perpetuitatem, quod cariem non admitterent vel tineam, tum ob suaveolentiam, teste Plinio, lib. LII. cap. VII. Monet ergo proceres cupressus, ut mortales se agnoscant, et si desiderant a vermibus et vitiorum tineis, quae animum corrodunt, liberi esse, ac post mortem semper vivere, mortis memoria, quae vermes illos extinguit, se obarment et quasi feretro se includant. Hanc ingessit Aethiops quidam, cupressa redimitus corona, Severo imperatori obviam factus ac dicens: *Totum fuisti, totum vicisti; jam deus est victor*. Paucis vero post diebus extinctus est, Pier. LII. hierogl. c. quinto. Deinde velut cupressus odorem bonae vitae ac famae suae spargant in vulgus, sic aeternum vivant, ab omni carie liberi inter homines sicut primogenitus inter fratres. Is autem vestem gerebat suaveolentem, unguento aut moscho perunctam, ut patet ex veste Esau, Genes. XXVII. Ferant moribus, ut se honore suo dignos et venerandos exhibeant.

III. Parentibus quid offeram nisi ramum vitis? Scimus enim Psalmo CXXVII. patrifamilias dictum de conjuge: *Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuae*. Itaque vitis etiam maritus erit, juxta id Ecclesiastici vigesimo quarto: *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris: et flores mei fructus honoris et honestatis*. Quare liberos suos ita forment atque educent, ut sint fructus honoris et suavitatis ac honestatis, tam sibi quam parentibus. Quemadmodum enim vitis non solum flores habet odoriferos, sed etiam fructus dulcissimos, ita parentes advigilare debent, ut eorum filii et in tenera aetate floreat virtutibus, et in adulta prosint reipublice christianae. Vitis nullum in se decorem habet, sed in botris suis permaximum. Ita etiam parentes quaerant decorem suum in filiis suis. Advertit hoc gentilis illa Cornelia Gracchorum mater, apud Valer. Maxim. lib. IV. cap. IV. *Quae cum Campana matrona apud illam hospita, ornamenta sua pulcherrima saeculi illius ei ostenderet, traxit eam sermone, quousque e schola redirent liberi. Et haec, inquit, ornamenta mea sunt*.

IV. Filiis ramum oleae, cujus fructibus, olivis nimirum, comparantur, Psal. supra citat. *Filii tui sicut novellae olivarum in circuitu mensae tuae*. Mater uti vidimus, appellatur vitis, cur ergo filii novellae olivarum? Quia palmites vitis absconduntur cum putatur: oleae non item. Igitur vivant filii, ut sint longaevis velut palmites olearum, neque exsindantur praematura morte, uti palmites vitium. Olea vitiat et emoritur ex vicinitate glycyrrizae, (ut scribit auctor, hist. plant.)



contra sae macerata fit ex agresti insipida, edulis et sapida : ita filii consuetudine feminarum et dissolutorum fiunt effeminati et dissoluti : conversatione seniorum et sapientium serii et sapientes. Unde olim parentes, nobiles maxime, suos filios ad monasteria mittebant, educandos et erudiendos inter viros religiosos. Denique olivæ, ut fundant oleum, multis pistilli ictibus contundi debent : sciant etiam filii ferenda sibi parentum et magistrorum verbera et objurgationes, ad hoc, ut sapientia et virtutes pretiosæ ab illis exprimantur, amurca ruditatis et vitiorum expellatur. Unde Sapiens, Proverb. XXII. ait : *Stultitia colligata est in corde pueri : et virga disciplinæ fugabit eam*. Sicut farina sacco, ita adhæret pueris stultitia et levitas pronitasque ad vitia; virgam ergo disciplinæ, qua excutiantur, libenter admittant.

V. Senibus ramum fraxini convenire existimo. Ea enim arbor primo serpentibus infesta est : ita ut malint in ignem intrare, quam in ejus folia. Ita senes sua morum severitate terreant, adeoque fugent improbos ac coerceant. Deinde fraxinus prius producit flores quam folia, ut refert Berchorius, in reduct. lib. XII. cap. XCVI. Senes, quia juvenum instructores, et ut quidam dixit, medici civitatum sunt, prius exemplo suo quam verbo doceant juniores. Flores sunt exempla, folia sunt verba. Ita egit Christus, qui teste Sancto Luca, Actor. I. *cæpit facere et docere*, prius facere quam docere. De Sancto Francisco Xaverio scribit in ejus vita Tursellinus, nullum ab eo patrem missum esse ad locum aliquem barbararum gentium, in quo ipse prius non fuisset. Prius creavit Deus marem quam feminam; atqui, *I fatti son maschi, le parole son femine*, dicunt Itali : facta sunt mares, verba sunt feminae : prius ergo facere, quam docere vel dicere decet senes.

VI. Juvenibus ramum amygdali, quæ prima omnium arborum floret, velut typus juventutis floridæ, frugum proventum nuntians. Fert amygdalus fructum dulcem et nutritivum valde sed duplici inclusum tunica seu cortice; quorum extimus admodum durus est qui fortissimis etiam juvenum dentibus difficile frangitur : alter amarus est. Ita nimirum juvenes, si prædulcem virtutibus fructum degustare volunt, debent prius frangere corticem amarum laboris et disciplinæ. Unde apostolus ad Hebr. duodecimo ait : *Omnis disciplina in præsentem quidem non esse videtur gaudii, sed mororis : postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ*, h. e. sanetitatem ac justitiam, ac denique in cælo gloriam. Amygdala, præsertim amara, resistunt ebrietati. Quamobrem Antonius Musa præstan-

tissimus medicus germanos bibacissimos potando superasse scribitur hoc astu : quinque amara prægustavit amygdala, ne ebrius fieri posset : sine illis ne minimo quidem potui sufficiebat, Athen. lib. II. cap. XI. cœl. lib. XI. cap. XIII. Quando vident juvenes versari se inter potatores cum periculo ebrietatis, prægustent quinque amara Christi vulnere pie cogitando; itane ergo vino me perdam, quem Deus emit sanguine suo? Deus propter me effudit sanguinem suum, et ego ad injuriam ejus infundam in me vinum? Ipse in siti sua potatus est felle et aceto : et ego dulci vino ad nauseam me proluam?

VII. Divitibus ramum sycomori. Ea enim arbor pauperibus tantum fructum gignit, ficus nimirum viliores et insipidiores, quæ a solis pauperibus colliguntur et eduntur : qualem se fatetur Amos, c. VII. *Armentarius ego sum, vellicans sycomoros*. Ut ibi Corn. et alii interpret. Propterea arbor illa velut hortis indigna, in publicis tantum viis, quasi in prædam pauperum serebatur. Tales esse divites debent; non includere, sed exponere panem suum egenis, non expendere suas opes in pompam et ludos, sed in pauperes potius, ad prandium vocare non amicos et divites, sed egenos et famelicos : *Deriventur fontes tui foras*, ait Sapiens, Proverb. V. *et in plateis aquas tuas divide* : panem, inquam, et vinum tuum pauperibus. Zacchæus ex sycomoro vidit et agnovit ac devinxit sibi Christum, suæque domui salutem comparavit. Divites si Christum sibi devincere, et in cælo volunt videre, ascendant in sycomorum; sint ipsimet, inquam, sycomorus pauperibus, ferendo illis panem, quod et Zacchæus fecit, dimidium honorum suorum dando pauperibus.

VIII. Pauperibus ramum palmarum. Palmæ caudex inferior tenuis et corticis scabritie asper atque injucundus : superior vero pars visenda est, ubi trunci crassitie et ramorum amplitudine amœnaque pulchritudine viriditatis expanditur. Ita pauperes in terra tenues, scabri, laceri, viles et contempti sunt; non ideo tamen animum suum despondere, sorti suæ indignari aut lamentari debent; quia si miserias suas velut a Deo sibi missas patienter ferant, superne in cælo locupletes et speciosi sunt : *Beati enim pauperes*, ait Dominus, Luc. VI. *quia vestrum est regnum Dei*. Dende sicut palma, pondere sibi imposito adeo non frangitur aut deprimitur, ut contra id assurgat potius, ita decet pauperes non frangi pondere egestatis, a Deo sibi imposito : sed gaudere magis et gratulari sibi, quod occasionem habeant gloriosæ victoriæ, de spretis hujus mundi bonis comparandæ.

IX. Litteratis et studiosis ramum arboris musæ.

## CONCIO V.

## PRÆPARATIO AD SANCTAM COMMUNIONEM.

- I. Desiderandus et appetendus eucharistiæ panis. —
- II. Firma fide accedendum. — III. Odia deponenda et inimicitia. — IV. Humiliter accedendum. — V. Cum firmo proposito adhærendi Christo.

## THEMA.

*Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam et pullum*. Matth. XXI.

Solemne est hodie parvulis palmarem, ut appellent, asinum conscendere, et cum Christi domini effigie circumvectari. Sed cur parvulis dumtaxat et non adultis quoque? Sane hi quia de mensa Domini participant, fiunt quodammodo asini Christi; ejus igitur consortio longe plus gaudere quam parvuli debent. Quare S. Bernardus, serm. VII. in Psalm. Qui habitat, invidet quasi asino illi, qui portavit Christum, tam pretiosum onus additque : *Ut jumentum igitur esto*. Non refugit hoc Davidem, Ps. LXXII. dicentem : *Ut jumentum factus sum apud te*. In quem Psalm. ait S. Hieronymus : *O si nos essemus jumenta Dei, et super nos dignaretur Deus ascendere!* Similiter Sanctus Augustinus in Psal. XXXIII. « Jumenta mansueta vult habere Dominus. Esto jumentum Domini, id est, esto mansuetus, etc. » Et paulo post : « Dicent mihi, inquit, aliqui superbi et elati : Ecce asinos nos fecit. Sit asinus Domini quicumque hoc dicit, ne sit equus et mulus, quibus non est intellectus. » Quare relinquamus parvulis ligneam asini figuram : nos mysticam ascendamus, vel potius ab asino discamus fieri boni Christi asini, præcipue eo tempore quo per sacram communionem Christum ad nos introducimus.

I. Forsan erunt aliqui carnales parum abstinentes, et ollas Ægyptias potius quam manna desiderantes. Hi ponantur ad os asini. Sunt, homines qui non quærunt alium cibum nisi corporalem : spiritualem animæ nec quærunt nec desiderant, possunt sine eo lætos dies agere et manere totis annis. Mira est hæc stoliditas, et castigatur ab asino. Habemus enim in vita Sancti Antonii de Padua (13. junii) disputantis cum hæretico Bonovillo de veritate eucharistiæ, asinum post triduanam inedia, proposito sibi pabulo et sancta eucharistia, prius ivisse adoratum flexis genibus sanctam eucharistiam, quam ad suum pabulum. Itaque magis necessarius magisque honorandus est sacer iste panis, quam corporis alimentum. Quam etiam ob causam præcipit Ecclesia, communicaturi orsus jejuni

ex palmarum genere in Ægypto, Cypro, Syria, proveniente. Ea fructus, parvi cucumeris magnitudine, gignit; qui principio gustantibus insipidi esse videntur, certe non adeo suaves : sed qui iis vesci perseverant, magis ac magis in dies oblectantur, saporis suavitate ita allecti, ut nunquam iis saturari se posse existiment. Ejus meminit Avicenna, lib. II. cap. LXXXIV. Caussin. lib. X. symb. c. X. Tales sunt litteræ sacræ, quæ primo aspectu insipidæ videntur imperitis, progressu tamen adeo suaves fiunt, ut amatores suos sine satietate oblectent solidissimeque nutriant. His ergo litteris potissimum operam dare litterati deberent, quia immortalitatis alimoniam inde haurire possunt.

X. Conjugatis offero ramum castaneæ. Ejus enim fructus ut plurimum duas singuli nuces habent, in theca una, spinosa et aspera, inclusas, ita ut sine læsione vix tangi queant : (unde forsitan a castimonia dictæ sunt castaneæ, quia tangi nolunt) intus autem pelle subnigra cooptas, dulces alioquin et nutriendi vi præditas. Præclarus fructus est conjugalis castitas, quæ ut conservetur thoro spinoso includenda est, ita videlicet ut ab aliis tangi refugiat, alienis conjugibus nequaquam blandam sed asperam et aversam sese exhibeat. Lectulum Salomonis, quando adhuc, ut opinor, caste vivebat in conjugio, sexaginta fortes ambiebant, omnes armati gladiis, Cant. III. Ita thorus conjugum undequaque spinis armatus et gladiis esse cinctus debet, ut servetur immaculatus.

XI. Virginibus et viduis ramum agni, quæ est arbor a castitate nomen habens; et quod non modo serpentes fuget, sed etiam castitati conservandæ et Veneri extinguendæ serviat; unde ejus folia aut etiam semen Atticæ mulieres, amantes castitatis, lectulis suis substernebant, Matthiol. I. c. XCV. Caussin. lib. X. symb. cap. III. At virgines viduæque christianæ cubilia sua agno illo castissimo. Virginis inquam Filio, communiant; siquidem agnus ille virgineus omnis impuritatis hostis et eliminator est, uti et serpentum omnium tartareorum, qui castitati insidiantur, fortissimus debellator.

Superest jam ut ramos nos in domos vestras deferatis, et, ut fieri solet, cum palmarum ramis benedictis conspicuo in loco statuatis, quo illorum memores, recurrente aliqua tentationis tempestate, velut armatura spirituali tueri vos possitis.